



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1 V. fuerit conueniens Christum ascendere

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

sumetur, id est saluabitur, & alter relinquetur, id est, condemnabitur. Nihilominus tamen resurrectio differri poterit vsque ad ortum diei, nam reliquum temporis nocturni, vel ad torquendos peccatores, vel ad purgandas iustorum animas esse poterit opportunum. Sed de hac illa Christi sententia præ oculis habenda est, Vos estote parati, quia quæ hora non putatis, filius hominis veniet. Mat. 24. Luc. 12. De qua in vltima huius operis parte iterum redibit sermo. Hæc igitur de resurrectione sint satis.

Matth. 24.
Luc. 12.

QVÆSTIO LVII.

De ascensione Christi in sex articulos diuisa.



Einde considerandum est de Ascensione Christi. Et circa hoc quaruntur sex.

Primo, vtrum fuerit conueniens Christum ascendere.

Secundo, secundum quam naturam conueniat sibi ascendere.

Tertio, vtrum propria virtute ascenderit.

Quarto, vtrum ascenderit super omnes celos corporeos.

Quinto, vtrum ascenderit super omnes spirituales creaturas.

Sexto, de effectu ascensionis.

ARTICVLVS I.

Vtrum fuerit conueniens Christum ascendere.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens Christum ascendere. Dicit enim Philo. in 2. de celo, quod illa, quæ optimo modo se habent, possident suum bonum sine motu. Sed Christus optime se habuit: quia & secundum diuinam naturam est summum bonum: & secundum humanam naturam est summe glorificatus: ergo suum bonum habet sine motu: sed ascensio est quidam motus: ergo non fuit conueniens, quod Christus ascenderet.

2. Præterea. Omne quod mouetur, mouetur propter aliquid melius: sed Christo non fuit melius esse in celo quam in terra, nihil enim accreuit sibi per hoc, quod fuit in celo, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus: ergo videtur quod non debuerit Christus in celum ascendere.

3. Præterea. Filius Dei humanam naturam assumpsit ad nostram salutem: sed magis fuisset salutare hominibus, quod semper conuersaretur nobiscum in terris: unde ipse dixit discipulis suis Luc. 17. Venient dies, quando desiderabitis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. Videtur ergo, quod non fuerit conueniens Christum ascendere in celum.

3. Præterea. Sicut Greg. dicit 14. Mor corpus Christi in nullo mutatum fuit post resurrectionem: sed non immediate post resurrectionem ascendit in celum: quia ipse dicit post resurrectionem, Ioann. 20. Nondum ascendi ad patrem meum: ergo videtur, quod nec post quadraginta dies ascendere debuerit.

Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 20. Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum.

Respondeo dicendum, quod locus debet esse proportionatus locato: Christus autem post resurrectionem vitam immortalē, & incorruptibilem inchoauit: locus autem in quo nos habitamus, est locus generationis & corruptionis: sed locus celestis est locus incorruptionis: & ideo non fuit conueniens, quod Christus post resurrectionem remaneret in terris: sed conueniens fuit, quod ascenderet in celum.

Ad obiectum ergo dicendum, quod illud optime se habens, quod sine motu possidet suum bonum, est ipse Deus: quia est o-

mnino immutabilis secundum illud Matth. 3. Ego Dominus, & non mutor. Qualibet autem creatura est mutabilis aliquo modo, ut patet per Aug. 8. sup. Gen. ad lit. & quia natura assumpta à filio Dei, remansit creatura, ut patet ex iis, quæ supra dicta sunt, non est inconueniens, quod aliqui ei motus attribueretur.

Ad secundum dicendum, quod per hoc, quod Christus ascendit in celum, nihil ei accreuit, quantum ad ea, quæ sunt de essentia gloriæ siue secundum corpus, siue secundum animam: tamen accreuit ei aliquid quantum ad loci decentiam, quod est ad bene esse gloriæ. Non quod corpus eius aliquid aut perfectionis, aut conseruationis acquireret ex corpore celesti, sed solummodo propter quandam decentiam: hoc autem aliquo modo pertinebat ad eius gloriam. Et de hac decentia gaudium quoddam habuit: non quidem quod tunc de hoc gaudere inciperet, quando in celum ascendit, sed quia nouo modo de hoc gauisus est, sicut de re impleta. Vnde super illud Psal. 15. Delectationes in dextera tua vsque in finem, dicit glossa, Delectatio & lætitia erit mihi in consessu tuo humani obrutibus subtrahito.

Ad tertium dicendum, quod licet presentia corporalis Christi fuerit subtrahita fidelibus per ascensionem, presentia tamen diuinitatis ipsius semper adest fidelibus, secundum quod ipse dicit Matth. ult. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Qui enim ascendit in celos, non deferit adopratos, ut Leo Papa dicit. Sed ipsa Christi ascensio in celum, quæ corporalem suam presentiam nobis subtraxit, magis fuit utilis nobis quam presentia corporalis fuisset. Primo quidem propter fidei augmentum, quæ est de non visis. Vnde ipse Dominus dicit discipulis suis Ioan. 19. Quod Spiritus sanctus adueniens, arguet mundum de inistitia, scilicet eorum, qui credunt, ut Aug. dicit super Ioan. Ipsa quippe fidelium comparatio infidelium est vituperatio. Vnde subd. 1. quis ad patrem vado, & iam non videbitis me: beati enim, qui non vident, & credunt. Erit igitur vestra inistitia, de qua mundus arguetur: quoniam in me quem non videbitis, credetis.

Secundo ad spei subleuationem. Vnde ipse dicit Io. 14. Si abiero, & preparauero vobis locum iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, ut vbi ego sum, & vos sitis. Per hoc enim, quod Christus humanam naturam assumptam in celo collocauit, dedit nobis spem illuc peruenire: de qua vbi fuerit corpus illuc congregabuntur & aquila, ut dicitur Matth. 24. Vnde Mich. 2. dicitur, Ascendit pandens iter ante eos.

Tertio ad erigendum charitatis affectum in celestia. Vnde dicit apostolus ad Coloss. 3. Quæ sursum sunt, quæ ite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Ut enim dicitur Matth. 6. vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Et quia Spiritus sanctus est amor, nos in celestia rapiens: ideo Dominus dicit discipulis Ioan. 16. Expedi vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Patet non veniet ad vos. Quod exponens Aug. super Ioan. dicit, Non potest capere Christum, quamdiu secundum carnem persistitis nosse Christum. Christo autem discedente, corporaliter non solum Spiritus Sanctus, sed & Pater, & Filius illi affuit spiritualiter.

Ad quartum dicendum, quod licet Christo resurgenti in vitam immortalē, congrueret locus celestis: tamen ascensionem distulit, ut veritas resurrectionis comprobaretur. Vnde dicitur Act. 1. quod post passionem suam præbuit seipsum viuuum discipulis, in multis argumentis per dies quadraginta. Vbi dicit quadam glo. quod quia per quadraginta horas mortuus fuerat, quadraginta diebus se viuere confirmat. Vel per quadraginta dies tempus presentis sæculi, quo Christus in Ecclesia conuersatur, potest intelligi: quia homo censetur ex quatuor elementis, & eruditur contra transgressionem decalogi.

Glossa ordi.

Glossa itid.

COM-

COMMENTARIUS.

DVpliciter potest intelligi ascensionem Christi fuisse conuenientem, scilicet, aut sibi, aut nobis: ideo autem D. Thom. absolute hoc quaerit, ut utriusque parti satisfaciatur, & in corpore articuli docet, fuisse conuenientem ex parte ipsius Christi. Nam licet per ascensionem nullam essentialem gloriam, vel gaudium consequutus sit, pertinuit tamen ad maiorem quandam decentiam, & proportionem, & accidentale gaudium (vt in sol. ad 2. addit) vt corpori ad immortalem vitam suscitato celestis locus tribueretur. Et ideo dicebat Christus Ioann. 14. *Sidli- geretis me, gauderetis vique, quia vado ad Patrem.* Pertinet enim ad amicitiam, amici absentiam patienter ferre propter bonum eius, & commodum illius proprio praferre. Significauit ergo Christus, illum discessum sibi fore vilem, quod non solum de discessu per mortem, sed etiam per ascensionem, verum est.

In solutione ad 3. dicit D. Thom. hanc Christi ascensionem etiam nobis fuisse conuenientem. Nam licet propter nostrum commodum oportuerit Christi ascensionem aliquot diebus differri, ad confirmandos homines in fide, vt in superioribus late dictum est, & hic tangit D. Thom. in sol. ad 4. & late, ac eleganter Leo Papa. ser. 1. de Ascen. tamen (vt idem subiicit ser. 2.) post veritatem resurrectionis sufficienter confirmatam, oportuit Christum in caelum prouehi, *Vt mirabilior fieret gratia Dei, cum remotis à conspectu hominum, quae merito reuerentiam sui sentiebantur indicare, fides non desiceret, spes non fluctuaret, charitas non tepere.* Fuit ergo ascensio Christi nobis utilis ad fidei, spei, & charitatis perfectionem. Quam veritatem declarat D. Thomas aliquibus scripturae testimonijs, quae breuiter explicare oportet.

Primo, quod ascensio Christi utilis fuerit ad fidem nostram, probat D. Tho. ex verbis illis Ioann. 16. cum venerit ille (scilicet paracletus) arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio: de peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. Ex quibus posterioribus verbis & ex ratione, quae in eis redditur, colligit D. Thom. quod intendit. Vbi est sciendum, quod Christus ait, arguendum ab Spiritu sancto mundum de iustitia, non eodem modo exponi à sanctis Patribus. Chrysostomus enim hom. 37. (quem Graeci sequuntur) interpretatur de iustitia, & innocentia ipsiusmet Christi, quam Spiritus sanctus adueniens mundo ostendit. At vero Aug. tract. 95. & Cyrill. lib. 10. c. 4. exponunt de iustitia homini, quam per fidem Christi consequimur. Quae expositio optime quadrat rationi, quam Christus subiungit, Quia vado ad Patrem, & iam non videbitis me. Nam iustitia fidelium fundatur in fide eius, quem non vident. Et hunc sensum sequutus est hic D. Thom. inde colligens ascendisse Christum, vt haec fidelium iustitia, & fides locum habere posset. Nā (vt Paul. dicit ad Heb. 11.) Fides est argumentum non apparentium. Sic Leo Papa serm. 2. de ascensione, *Magnarum hic vigor est mentium, & valde fidelium lumen animarum, incunctanter credere, quae corpore non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quo nequeas inferre conspectum.* Haec autem pietas, vnde in nostris cordibus nasceretur, aut quomodo quisquam iustificaretur per fidem, si in iis tantum salus nostra consisteret quae obtritus subiacerent? Vnde & illi viro, qui de resurrectione Christi videbatur ambigere, nisi in ipsius carne vestigia passionis & visu explorasset, & tactu. Quia vidisti me (inquit Dominus) credidisti. Beati qui non viderunt & crediderunt. Secundo, ascensionem Christi conferre ad nostrae spei augmentum optimis confirmat D. Thomas scripturae testimonijs. Primum est Ioan. 14. *Vado parare vobis locum, & si abiero, & preparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum.* Verum est, hunc locum satis commode posse exponi de Christi discessu per mortem. Nā per eam vere, ac

Fr. Suarez, tom. 2.

A proprie preparauit nobis locum in beatitudine, & post illam iterum ad nos redijt, vt participes suae iustitiae, & gloria faceret, *Traditus enim est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram,* & hunc sensum insinuat Aug. tract. 68. & Cyrill. lib. 9. ca. 31. Nihilominus tamen sensus D. Tho. probabilis quoque est. Nam etiam per ascensionem preparauit nobis Christus locum regni caelorum, non quidem merito, & iure: sed facto iplo aperiendo, & ostendendo viam ad regnum. Per mortem enim ius ad regnum caeleste nobis acquisiuit: per ascensionem vero quasi possessionem sumpsit nomine omnium nostrum, iuxta verba eiusdem Christi, *vbi fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquila,* quod testimonium D. Thom. adducit. Et hanc expositionem etiam probant Augustinus, & Beda in Ioannem, nec dissentit Cyrillus. Quibus testimonijs addere possumus verba eiusdem Christi Ioannis. 3. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo filius hominis, qui est in caelo.* Quae verba specie quidem ipsa videntur potius contraria. Nam si nemo ascendit nisi ipse, quomodo nobis datur spes ascendendi? ideo à multis exponuntur solum de ascensione secundum animam per visionem beatam. Ab alijs vero exponuntur tantum de praesentia, quā Christus habebat in caelo, solum secundum diuinitatem. Et reuera alter istorum sensuum est necessarius, quia verbum, *Ascendit,* est praeteritum temporis. Et propter hoc etiam nihil nobis obstat hic locus. Quia licet vsque ad tempus, in quo Christus protulit illa verba, nemo ascenderat in caelum praeter Christum,

C non propterea ablata est spes postea ascendendi. Ad do vero ulterius cum Augustino sermon. 1. de ascensione, etiam si verba illa de corporali ascensione in caelum intelligantur, non minuire, sed augere potius spem nostram. Nam propter unitatem, qua caput nostrum est, & nos corpus eius, cum ascendit in caelum, nos ab illo non separamur, qui de caelo descendit, non nobis inuidet caelum: sed quodammodo clamabat. *Mea membra essote, si ascendere vultis in caelum.* Sic etiā dicit Leo Papa sermone primo de ascensione. *Christi ascensio nostra perfectio est, & quo praecipit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis.* Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus: sed etiam calorum in CHRISTO superna penetrauiamus.

Alio modo potest explicari haec ratio ex virtute spei sumpta, quia, ideo ascendit, vt nos desuper protegeret, vt dixit August. sermon. 174. de tempore. Et optime confirmat Ioannes. 1. Canon. cap. 3. dicens, *Filioli mei haec scribo vobis, vt non peccetis: sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & Paul. ad Heb. 9. Non in manu facta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum: sed in ipsum caelum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et propter hanc fortasse causam dixit Leo Papa sermone secundo, quod Christus post ascensionem ineffabili modo factus est diuinitate praesentior, qui factus est humanitate longinquior.

Tertio ostendit D. Thomas, Christi ascensionem nobis esse vtilissimam ad perfectionem charitatis. Primo ex parte obiecti per se, quia Christus existens in caelo ad desideria, & cogitationes caelestes corda hominum accendit, iuxta illud. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum:* & ideo aiebat Paulus: *consurrexisti cum Christo, quae sursum sunt querite, quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* Et Leo Papa supra. *Liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus. Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant.* Secundo, quasi per accidens remouendo impedimenta, quomodo interpretatur Diuus Thomas illa verba Christi. *Expedi vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.* iuxta expositionem Augustini. tract. 94. dicentis, *Non potest capere Spiritum, quandiu secundum carnem persistit nescire Christum.* Atque eodem modo Gregor. lib. 8. Moral. 13. exponit haec verba, quamuis ea non re-

Ddd 3 ferat

Ioan. 14.

Leo Papa.

Ioan. 16.
Ascensio Christi
ad fidem
Christianorum
utilis.

Chrysost.

D. Thom.

Hebr. 11.
Leo Papa.

August.
Cyrill.
D. Thom.

Matth. 24.
D. Thom.
August.
Beda.
Cyrill.

Ioan. 3.

Aug.

Leo Papa.

August.
1. Ioan. 2.

Hebr. 9.

Leo Papa.

Ascensio Christi
nobis esse
vtilissimam
ad perfectionem
charitatis.
fidelium in-
centium.
Matth. 6.
Coloss. 3.
Leo Papa.

ferat ad perfectionem caritatis: sed ad perfectam intelligentiam rerum inuisibilium, cuius non erant capaces Apostoli, quam diu visibili corpori addicti erant. Sed idem est sensus, atque eadem ratio: tamen quia perfectissimus effectus Spiritus Sancti est caritas, quæ maxime illi appropriatur, ideo optime D. Thom. locum illum ad perfectionem caritatis accommodabit. Aduertendum vero est, posse etiam illa verba intelligi de passione Christi, id est, Si ego non abiero, per passionem, & mortem, non veniet Spiritus sanctus. Et hoc sensu ratio illius sententiae non est, quia praesentia sensibilis Christi impedire posset spirituales profectum, sed quia Christus passione sua abundantiam spiritus erat hominibus meriturus, quomodo Hieron. epist. ad Hedibiam. q. 9. & Chrysost. & alij exponunt illud Ioann. 7. Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, hanc glorificationem, Christi passionem crucisque triumphum esse intelligentes. Caterum licet hoc verum sit: tamen effectus ipse, & rerum euentus probavit, Christum non promississe Spiritum sanctum, nisi post ascensionem dandum, & hoc sensu dixisse, Si autem abiero, mittam eum ad vos, ergo similiter, quando è contrario dixit, Si non abiero, Paracletus non veniet, non solum de passione, sed de ascensione etiam intelligendum est, sicut Augustinus intelligit. Et similiter in alijs verbis cap. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, proprius glorificatione intelligitur de ascensione, quam de passione, ut ibidem exponit Augustinus. tract. 32. iuxta illud Pauli, Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod potissimum de Spiritu sancto intelligitur, ut idem Augustinus exposuit 15. de Trinitat. cap. 19.

August.
Ioann. 7.
Ephes. 4.

August.

ARTICVLVS II.

Verum conueniat Christo ascendere in caelum secundum diuinam naturam.

317.
3 d. 22. q. 3. a.
1. ad 2. & op.
3 c. 247.



Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod ascendere in caelum conueniat Christo secundum diuinam naturam. Dicitur enim in Psal. 46. Ascendit Deus in iubilacione, & Deut. 33. Ascensor caeli auxiliator tuus. Sed ista dicuntur de Deo etiam ante Christi incarnationem. Ergo Christo conuenit ascendere in caelum secundum quod Deus.

2. Praeterea. Eiusdem est ascendere in caelum, cuius est descendere de caelo: secundum illud Ioan. 3. Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, & Ephes. 4. Qui descendit, ipse est & qui ascendit. Sed Christus descendit de caelo, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus: non enim humana eius natura ante in caelo fuerat, sed diuina: ergo videtur, quod Christus ascenderit in caelum, secundum quod Deus.

3. Praeterea. Christus sua ascensione ascendit ad Patrem: Sed ad Patris equalitatem non peruenit, secundum quod homo, sic enim dicit, Pater maior me est, ut habetur Ioan. 14. ergo videtur, quod Christus ascendit secundum quod Deus.

Ex glos. in
ser. lucari.

Sed contra est, quod Ephes. 4. super illud, Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit: dicit glos. Constat quod secundum humanitatem Christus descendit & ascendit.

Respondeo dicendum, quod ly secundum, duo potest notare, scilicet conditionem ascendentis, & causam ascensionis. Et si quidem designet conditionem ascendentis, tunc ascendere non potest conuenire Christo secundum conditionem diuinam naturam, cum quia nihil est diuinitate alius, quo possit ascendere: tum etiam quia ascensio est motus localis, qui diuinam naturam non competit, quæ est immobilis, & localis. Sed per hunc

A modum, ascensio competit Christo secundum humanam naturam, quæ continetur loco, & morti subijci potest. Vnde hoc sensu poterimus dicere, quod Christus ascendit in caelum secundum quod homo, non secundum quod Deus. Si vero ly secundum, designet causam ascensionis, cum Christus ex virtute diuinitatis in caelum ascenderit, non autem ex virtute humane naturæ: dicendum est, quod Christus ascendit in caelum, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus. Vnde August. 1a ser. 3. dicit in serm. de Ascensione, De nostro fuit, quod filius Dei pendit in cruce, sed de suo, quod ascendit.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritates illæ propheticæ dicuntur de Deo, secundum quod erat incarnandus. Potest tamen dici quod ascendere, etsi non proprie conueniat diuinæ naturæ, potest tamen ei metaphorice conuenire, sicut scilicet dicitur in cor hominis ascendere: quando cor hominis se subijcit, & humiliter Deo. Et eodem modo metaphorice dicitur ascendere, respectu cuiuslibet creaturæ, ex eo, quod eam subijcit sibi.

Ad secundum dicendum, quod ipse idem est, qui ascendit, & qui descendit (dicit enim Aug. in lib. de Symbolo. Quis est, qui descendit? Deus homo. Quis est, qui ascendit? idem ipse Deus homo.) Descensus tamen duplex attribuitur Christo: unus quidem, quo dicitur descendisse de caelo, qui quidem attribuitur Deo homini, secundum quod Deus. Non enim est iste descensus intelligendus secundum motum localem, sed secundum exinanitionem, quæ, cum in forma Dei esset, serui formam suscepit. Sicut enim dicitur exinanitus non ex eo, quod suam plenitudinem amiserit, sed ex eo, quod nostram paruitatem suscepit: ita dicitur descendisse de caelo, non quod caelum deseruerit, sed quia naturam terrenam assumpsit in unitatem personæ. Alius autem est descensus, quo descendit in inferiores partes terre: ut dicitur Eph. 4. Qui quidem est descensus localis, unde competit Christo secundum conditionem humane naturæ.

Ad tertium dicendum, quod Christus dicitur ad Patrem ascendere, in quantum ascendit ad consessum patris dexteræ: quod quidem conuenit Christo aliquantulum secundum diuinam naturam, aliquantulum autem secundum humanam, secundum quod infra dicitur.

COMMENTARIVS.

Distinguit D. Thom. in corpor. articuli illam distinctionem positam in titulo, secundum diuinam naturam. Potest enim, inquit, indicare vel conditionem ascendentis, vel causam ascensionis, id est, vel naturam, in qua recipitur motus ascensionis, vel quæ est principium talis motus. Priori sensu dicit, non ascendere Christum ut Deum, sed ut hominem: quod est manifestum, ac per se notum. Quia natura diuina est incapax talis motus cum sit vbique, & immutabilis: natura autem humana capax est, licet sit vnita Verbo: non est tamen vbique, ut latius dictum est superiori tomo disputation. 32. section. 4. & quia hic est proprius sensus illius particule, secundum quod, ideo, licet per communicationem idiomatum absolute vera sit hæc propositio, Deus ascendit: hæc autem simpliciter est falsa, in quantum Deus ascendit, iuxta quæ fusi tradita sunt superiori tomo disputation. 35. Secundo addit D. Thomas, si dictio, secundum quod, tantum significet principium efficiens ascensionis, sic Christum ascendisse ut Deum. Quia ex diuino supposito habuit corpus illud virtutem ascendendi. Dices, corpus gloriosum ex virtute intrinseca, & creata potest sursum moueri: ergo etiam Christi corpus virtute intrinseca & creata ascendere potuit: ergo neque denotando causam, & principium motus, ascendit ut Deus. Respondetur, argumentum procedere de virtute proxima effectiua motus: diuina Thomam autem loqui de virtute principii.